



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 4. Epistolæ Papæ ad Tartaros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

racula: & sunt, qui eum inter Beatos numerent, tametsi cultus ejus non videatur stabilitus litteris justæ authoritatis ac fidei.

§. IV.

Epistolæ Papæ ad Tartaros.

Frater Joannes Moncorvinus ejusdem Ordinis Religiosus a Ministro Generali Bonagratio ante aliquos annos ad expeditionem sacram in Orientem missus post suum reditum Papæ significavit Magnum Tartarorum Canum Argonem ipsi Ecclesiæque Romanæ ac generatim Christianis omnibus favere; seque ac socios suos humanum oppido & benignum expertos esse; quod indicaret illum ad amplectendam fidem sanam propendere. Idcirco Papa officiosa epistola Argonem hortatus est ad exequendum hoc bonum propositum: simulque scripsit ad duos alios Tartarorum Principes Cobilam & Caidonem, quorum prior ipsi commendatus per Argonem fuerat in litteris anno præterito acceptis. Etiam Regi Armeniæ, sorori Regis mortui, Imperatori Æthiopiæ, Patriarchæ Jacobitarum, & cuidam Episcopo nomine Dionysio Ecbatanis residenti per Fratrem Joannem Moncorvinum litteras misit datas mense

U 4 Julio

Sæcul. XIII.

A.C. 1289.

Vading.

1289. n. 12.

Sup. lib. 88.

S. 48.

Sæcul. XIII. Julio an. 1289 & videbimus continentem
 A C. 1289. hujus missionis ordinem.

§. V.

Inquisitio Venetiis facta.

Vading.
n. 14. 15. &c.
Rayn. n. 54.

Papa Nicolaus sanctiones hoc anno plures pro Inquisitione edidit; & a Veneta Republica decretum magni ponderis pro hoc tribunali obtinuit. Cum Dux Joannes Dandolus majorem minoremque Senatum & omnem populum congregasset, statutum est, ut ille solus haberet potestatem ferendi Inquisitoribus auxilii ad obeundum Venetiis ipsorum officium, quoties ab eis rogatus esset, atque ut Respublica virum certum constitueret, cujus in fide pecunia ad exercendam Inquisitionem necessaria deponeretur, ita, ut Inquisitores non cogentur illam alibi quærere, & hic vir acciperet omnia, quæ hoc ex tribunali provenissent. Hæc sanctio facta est Venetiis 4 Augusti 1289: & duo Nobiles, nimirum Marcus Bembus ac Nicolaus Quirinus eam Papæ nunciatum missi fuerunt. Probavit illam Papa, Venetosque, ut eandem fideliter observarent, monuit per litteras 28 Augusti datas. Hæc est prima, quam viderim, constitutio pro Inquisitione Veneta; sed indicat hoc tribunal ibi jam antea erectum fuisse.

V. fr. Paolo
hist. dell'
Inquis.

§. VI.